

Alte Drucke

**CONFESSIO FI=||DEI CATHOLICAE CHRISTIANA
AV=||thoritate Synodi prouincialis quæ habita est
Petr=||couiæ Anno M. D. LI. Mense Iunio ædita: || ...**

Hosius, Stanislaus

Cracoviae, 1553

DE SATISFACTIONE. CAP. XLVII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150329

fiat dicitur, quæ est clavis ministerij. Clavis authoritatis est penes Deum trinum & viuū, clavis excellentiæ penes Christum hominem, cuius passionis merito quæ clausa fuerat antea, nobis ianua regni cœlestis est aperta. Clavis ministerij est penes sacerdotes, qui potestate vtuntur ligandi & soluendi sibi à Christo concessa. Sed hac de re satis. *

DE SATISFACTIONE. CAP. XLVII.



Etia pœnitentiæ pars est satisfactio, quam si quis malit sequelam appellare, nullæst litigandi causa. Nam quæ præcedebat olim absolutionem, nunc sequi plerumq̃ consuevit. Fit autē satisfactio per ieiunia, elemosinas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna quæ vel sacramēto vel sacramenti voto vnā cum culpa remittitur, verum pro pœna tēporali quæ vt sacræ literæ docent non tota semper vt in baptismo fit, dimittitur, illis qui gratiæ Dei quam acceperunt ingrati spiritum sanctum contristauerunt, & templum Dei violare non sunt veriti. Diximus initio cum de sacramētis agere cepissemus, quod baptismus fidei Cōfirmatio spei, Eucharistia charitatis est sacramentum, pœnitentia verò refert̃ ad iusticiā, maximè in ea parte quæ dicit̃ satisfactio, quæ videtur iniuriæ illatæ quedam esse reconpēratio. Iam enim baptisatis nō perinde facilis, neq̃ tam liberalis & gratuita ⁱⁿ patet ad misericordiam diuinā, quam fuit ipsis baptismus, quem qui suscipiūt nulla requirit̃ ab eis satisfactio. Contra autem est in hoc pœnitentiæ

pœnitentiæ sacramento quanto enim grauius peccat ho-
 mo fidelis per baptismum Christo semel incorporatus,
 tanto maior illi difficultas impendet in misericordia di- *Deutro. 25.*
 uina impetranda. Iustū itaq; est, vt ipse à se peccati pœnas *Apoca. 18.*
 exigat, vt illud impleatur quod scriptum est. Pro mensura
 peccati, erit plagarum modus. Et alio loco, quātum se glo-
 rificauit & in delicijs fuit, tantū date ei tormentū & luctū.
 Si magnus est lapsus tuus, dicit Chrysostomus, maior sit la-
 chrimarum tuarum torrens. Fit autem eiusmodi satis- *Homili. 22.*
 factio, non ad culpam vel pœnam æternam expiandam *ad populum*
 hæc enim satisfactio soli Christo tribuenda ē. Solus ille fa- *Antiochenū*
 ctus est propiciatio pro peccatis nostris, nō pro nostris tã- *1 Ioannis 6.*
 tum verum & totius mundi. Solus ille mortem moriēdo
 destruxit, per eam pro peccatis nostris abunde satisfecit,
 per eam patri suo cœlesti nos reconciliauit, Nō de hac ita-
 q; satisfactione nunc loquimur, sed de ea quæ in ihs maxi-
 mē pœnitentiæ fructibus consistit, quos iusticiæ nomine *Matthæi 6.*
 Christus dignatur. In ieiunio, oratione, & elemosina, siue à
 nobis ea suscepta siue per parrochos nostros sacramentorū
 q; dispensatores nobis iniūcta sit, quæ cum ex fide & chari-
 tate peragit, peccatorū causas excindit, peccati reliquijs
 medet, ac temporalem pœnam vel tollit vel mitigat, deni-
 q; & in exemplum adhibet. Est quidē ita quod Christus
 pro peccatis nostris abunde satisfecit, pro nobis tot cruci-
 atus, ac mortem etiam ipsam perferendo, sed non ideo pa-
 ssus est, non ideo satisfecit, vt nos nihil iam patiamur, nihil
 faciamus pro peccatis nostris, posteaquam semel à gratia
 illa exciderimus quam, illi cōmortui, per baptismum cōse-
 quuti

1 Petri 2.

Matthe 16.

Esaiæ 26.

quanti fueramus. Quin ille nobis exemplū dedit potius ut
eius vestigia sequamur, ut sicut ipse tulit crucem suā, car-
nem nostram indutus, verum ab omni peccato prorsus im-
munis, ita & nos tot peccatis contaminati tollamus & ipsi
crucem nostram. Hoc est quod nos admonet dicens. Si
quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat cru-
cem suam & sequatur me. Dicit hic aliquis. Quid ergo mi-
hi contulit crux Christi? Si nihilominus opus est assidue
portare me crucem propriā, quasi illa non suffecerit? Mul-
tum adeo contulit. Nullus enim esset nostræ crucis usus,
neque fructum ex ea caperemus ullum, nisi Christi crux pre-
cessisset, cuius merito velet nostra crux, quidquid valet.
Adeundum modū, & satisfactionis nostræ pro peccatis nul-
la esset prorsus utilitas, nisi Christi satisfactio precessisset
per cuius mortem & sanguinem, efficaciam reddunt & Deo,
grata quæ fiunt à nobis in satisfactionē pro peccatis nostris
Quod ergo prodest nobis nostra satisfactio, non aliter pro-
dest nisi virtute, merito, & efficaciam Christi passionis, quæ
fons & fundamentum est omnium bonorum operum nostro-
rum, quæ iam non nostra sunt, sed eius qui vivit in nobis qui
operatur in nobis Christi. De quo dicit Propheta. Domi-
ne omnia opera operatus es in nobis. Hunc itaque passionis cru-
cis & sanguinis Christi fructum habemus, quod quæ ope-
ra nostra quamlibet in speciem bona nihil nobis antea fu-
erāt profutura, ea postea quā Christi sanguine tincta sunt,
prodesse nobis incipiunt ad placandam iram Dei, et ad sa-
tisfaciendum pro peccatis nostris. Noluit Christus passio-
nem, et mortem suam operculum esse turpitudinis & ase-
lum

sum iniquitatis nostræ, vt quoniam ille satisfecit pro nobis
 licere nobis existimemus vt deinceps ventri iam libere ser-
 uiamus, in omni peccatorū cœno volutemur, atq; omnia
 quæ libido nostra fert faciamus. Non propterea passus est 1 Petri. 2.
 non propterea satisfecit pro nobis, sed sicut Petrus docet.
 Ideo peccata nostra, hoc est pœnā nobis pro peccatis no-
 stris debitam ipse pertulit in corpore suo super lignum cru-
 cis, vt peccatis mortui non modo nō peccemus deinceps, Roma. 6.
 verumetiam iusticię viuamus, & exhibeamus nos deo tan-
 quā ex mortuis viuētes, vt sicut exhibuimus antea mēbra
 nostra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita
 deinceps exhibeamus mēbra nostra seruire iustitiæ in san-
 ctificationem, ne tanti redemptoris mortem & sanguinem
 quo sumus à peccatis nostris abluti pro nihilo habuisse vi-
 deamur. Et hoc est quod nos satisfactionem vocamus, ex-
 hibere membra nostra seruire iustitiæ in sanctificationem
 sicut antea exhibuimus ea seruire immunditiæ & iniquitati Baruch 4.
 ad iniquitatē vt fiat illud quod est apud prophetā. Sicut
 fuit sensus uester vt erraretis à Deo, decies tantum iterum
 conuertentes requiretis eū. Hoc est enim satisfacere, quā-
 tum offendisti Deum peccando, tantum dare operam vt
 eum tibi placatum reddas, non tantum à peccatis abstinē-
 do, verumetiam indebita quedam opera bona faciēdo, vt
 quoad eius fieri possit, infectum reddere coneris quod per-
 peram factum est, & præcedentis vitæ studia in diuersum
 mutes. Qui furabatur iam nō furef dicit Paulus, magis au- Ephesi. 4.
 tem laboret operando manibus quod bonum est, vt habe-
 at unde tribuat necessitatem patienti. Non furari eum qui

PP

furatus

furatus antea fuerat, sed honestis operibus se alere est refi-
piscentię. Suis verò laboribus etiam indigenti victum para-
re satisfactionis est, non illius qua dominis ablata restitu-
untur. Nam hæc restitutio vocari propriè consuevit, sed
huius quam verè pœnitentię partem esse dicimus. Quam-
obrem Christianus homo, non solum aliena nō tollere ius-
betur, sed & de labore suo pœnuriā patientibus submi-
nistrare, vt bonis operibus deditus rependat quæ prius ab-
stulerat, & de cætero thesauriset sibi in futurū. Quid enim
magnum, aut cuius meriti est ab alienis tēperare? Faciūt
hoc etiam ethnici viri boni, illud verò ad meritum proficit
cum quis de proprio tribuit egenis. Talis fuit satisfactio
Lucæ. 16. Zachei, qui verè & ex animo pœnitens dixit. Ecce dimi-
dium bonorum meorū Domine do pauperibus, & si quid
aliquē defraudaui reddo quadruplū. Quæ tā grata Chris-
Sermone 15. to fuit vt mox ei diceret. Hodie salus huic domui facta
est. Ad talem satisfactionem inuitat nos Ambrosius, dicēs.
Nos quoq; si tam graue peccatum fuerit vt minime solis
flectibus abluatur, addamus misericordiæ oleum, acrimo-
niamq; ieiunij. Nullum enim tam graue delictū est, quod
non purgetur abstinentia, eleemosinis extinguat. Ait enim
sanctus Propheta. Sicut aqua extinguit ignem ita eleemo-
Ecclesiasti. 3. sina extinguit peccata. Magna ergo est eleemosina, quæ ar-
dentium criminum globos, beneuolentiæ suæ fonte refrige-
rat, & quodam irriguo largitatis, obruit incendia delictorū.
Vt quam vis offensus Deus, quāuis criminibus pro-
uocatus, cogatur liberare eleemosinis, quæ disposuerat pun-
ire peccatis. Cogitur enim à nobis quodammodo, dum com-
pellitur

pellitur pro actibus nostris mutare sententiam, & in vno eor-
demq; homine, nunc seueritate iudicis permoueri, nunc pa-
tris pietate blandiri. Pater enim nobis Deus est cū bene agi *Matthæi. 11.*
mus, iudex noster ē cū peccamus. Compellit ergo operib;
nostris Dominus, vt nobis misericordiam suam largiatur,
atq; ideo ipse in Euangelio sancto dicit. A diebus Ioannis
Baptistæ regnum cœlorum cogit. Hinc perspicuum esse
cuius potest, quantum ei satisfactioni tribuat Ambrosius
quæ sit per ieiunium & eleemosinam. Neq; verò solus ille
Nullus est sanctorum doctorum, qui non idem cum ipso
fenciat. Est autem admirabilis eorum cecitas, qui non ve-
rent affirmare per hæc opera satisfactoria mortis & satis-
factioni Christi de rogari. Non ne sicut ille pro peccatis
nostris copiose satisfecit, ita copiose quoq; nos ab illis rede-
mit, perfecte nos patri suo reconciliauit, omnia peccata no-
stra pertulit in corpore suo, ac ex condigno meruit omni-
bus vitam æternam? Atqui non obstantibus ijs, fatent isti,
qui nihil iuditio suo non tribuunt atq; illud Ecclesiæ totus
iuditio anteponant nasci nihilominus paruulos iræ filios,
& nisi baptisati fuerint, condemnari, quin & adultos vt iu-
stificent & fide & baptismo opus habere. Iustificatis autē
precepta decalogi, lapsis pœnitentiam interiorem esse ne-
cessariā. Si nihil derogat plenissima Christi satisfactioni *Matthæi. 6.*
fides si nihil derogat baptismus, si nihil derogat interior
pœnitentia, cur secus iudicant de exteriori pœnitentia,
quæ interioris iudex est, deq; ijs operibus quæ Christus ip-
se qui est iustitia nostra, iustitiæ nomine dignatur, quibus
etiā mercedē pollicet, quæ tamen & ipsa quod iam toties
admonuimus

PP ij

Esaiæ 64.

Matthe. 3.

Homilia 10.
operis imper
fecti, Homilia
41. & 30 ad
populum An
ioche.

admonuimus non aliunde præcium habēt, quam ex Chri
sti sanguine quo respersa sunt, ad quem si referantur, nō po
sunt Deo grata non esse. Quemadmodū rursus si quis alio
referat, nihil aliud sunt omnes iustitiæ nostræ, quā pannus
menstruata. Verum & illud ineptum est, quod propterea
satisfactionem reiiciendā putent, quod nomen hoc in scri
pturis nō reperire dicant. Non dissimili ratione reiiciebāt
Vocem homofion Ariani, quod eam in scripturis nō reperiri
dic erent, ac fuit hoc proprium & perpetuum hereticorum
vt nihil reciperent quod in scripturis non esset quēadmo
dum fusiis à nobis antea scriptū est. Quasi verò de nomi
ne magis quā de re laborandum sit atque reperit ipsa res.
Quid enim aliud sibi volunt digni fructus pœnitentiæ, ad
quos faciendos hortatur Ioannes. Quid aliud sibi vult qđ
anunciabat Paulus vt pœnitentiam agerent & cōuerterēt
ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes, quid aliud
hæc significant quā eam de qua nunc loquimur satisfactio
nem? Dignos fructus pœnitentiæ facimus dicit Chrisosto
mus, siue quisquis ille fuit author operis imperfecti in Ma
ttheum, cum cōmissis peccatis aduersa facimus aliena ra
puisti, incipe donare propria, longo tempore fornicatus
es à legitimo quoq; cōiungij vsu suspenderis, ac perpetuā
continentiam paucorum dierum castitate sæpius medita
re. Iniuria vel opere quemquam vel sermone affecisti, re
fer benedictionis verba. Conuicijs te percutientem, nunc
officijs placare contende. Neq; enim vulnerato sufficit
ad salutem, spicula de corpore euellere, sed etiam remedia
vulneribus oportet adhibere. Delicijs antea & temulentia
diffuebas

diffuebas, ieiunio & aqua potu vtrumq; cōpenſa, vt famē
superes imminentem, vidisti impudicis alienum decorem
oculis, feminā omnino iam nō videas, maiore tactus cau-
tione post vulnera. Quid autem aliud est satisfacere, quā
quod n̄s verbis exprimitur, quodq; Ioannes admonuit di-
gnos p̄nitentiā fructus facere. Quem locum de hoc ge-
nere satisfactionis rectē intelligi nō modo Ioannes Chriſo-
stomus, verū etiam Augustinus, Gregorius, Isichius, Chri-
stianus Ruthmarus, & alij scripture liquerunt. Ireneus de
primo parente nostro scribit in hunc modū. Per suctincto-
rium in facto ostendit suam p̄nitentiam, folijs ficulneis
semetipsum contegens, existentibus & alijs folijs multis
quæ minus corpus eius vexare potuissent, condignū tamē
inobedientiā amictum fecit, conteritus amore Dei, & retū-
dens petulantem carnis impetum, velut tale quid signifi-
cans, quoniam quam habui à spiritu sanctitatis stolā ami-
si per inobedientiā, & nunc cognosco quoniā sum dignus
tali tegumento, quod delectationem quidem nullam prę-
stat mordet autē & pungit corpus. Ex quo loco licet illud
colligere etiam in paradiso quodam genere satisfactionis
primum parentem nostrum vsum esse. Quod autē semel
& iterum admonuimus, satisfactionem hanc non ita veli-
mus accipi, quasi culpæ propiciatoria & aternæ p̄næ sit
abolitoria, soli Christo tribuendū est hoc solus ē ille q̄ delet
iniquitates nostras, solus est ille qui factus est propiciatio
pro peccatis nostris, solus est ille qui mortem aternā mor-
riendo destruxit. Sed solet Deus in hac vita temporariā
p̄nam aternæ loco, peccatis nostris infligere, sic enim ait

Li. 21 de ciu-
tate Dei Ca.
27 & sermo.
50 ac 66.

Homili 20
3 Li. 4 in Ca-
put 14 Leui.
in Ca. 3 Matt
hei

Li. 3 Ca. 35.

Esaie 53.
1 Ioannis 2.

PP in

per

psal. 88.

per prophetam. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Qui locus non obscure indicat, quod quam poenam comminatus est dominus ea non ad internitionem, sed ad correptionem uti voluerit. Multa in scripturis eius rei exempla reperire licet. Remissum est peccatum diffidentium. Moyse & Aaron, non tamen est remissa poena temporaria. Neque enim ingressi sunt in terram promissionis. Hoc de reliquo populo Israel, hoc de Maria sorore Moysi, hoc de David rege factum legimus, quibus omnibus remissis peccatis, non sunt remissa poenae temporariae quas effugere non bis licet, quando ieiunio, oratione, eleemosina Deum nobis placatum reddere conamur. Sicut Niniuitas, sicut Ezechias, sicut Achab & alios fecisse legimus. Hoc est quod ab Eucherio Lugdunensi Episcopo scriptum est. Si peccatum David tam detestabile dominus transtulit, quid est quod omnia, quae de eodem peccato per prophetam ei a domino dicta sunt postmodum tolerauit: sed proculdubio dominus delet illud, sed sine ultione non deserit, aut enim ipse hoc homo in se poenitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcit, quod nullatenus sine vindicta dimittit. Hic enim David audire post conuersionem meruit. Dominus transtulit peccatum tuum. Tamen & multis post cruciatibus afflictus, ac fugiens reatum quem perpetrauerat exoluit. Sic nos salutis vnda a culpa primi parentis absoluit, sed tamen reatum eiusdem culpae diluentes absoluti quoque adhuc carnaliter obimus. Quia delicta nostra, siue per nos siue per se ipsum

Numeri. 11.

Numeri. 14.

Numeri. 20.

1. Regum. 12.

Iona. 3.

Esaie. 38.

3. Regum. 21.

In lib. secundum

dum. Regum

Ca. 8.

2. Regum. 1

ipsum refecat, etiam cum relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporalis afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non vult vindicare. Quod ipsum prope verbis in moralibus à Gregorio scriptum legimus qui fuisse videtur ducentis plusminus annis posterior. Verum & Augustinus contra Faustum scribens in eadem est sententia. Qui recte colligit, si dimissa culpa nullus reliquus esset, ad poenam reatus, quod neque mortuus Adā, neque fuisset alijs miseris & huius vite calamitatibus obnoxius futurus post eam teste Salomone. Eduxit eum Deus à delicto suo. Quin & nos morti & multis alijs erumnis huius vite subiecti non essemus, posteaquam originale peccatum nobis in baptismo remissum est, si omnes in uniuersum poenae inflictæ pro peccatis simul cum culpa delebantur. Caterum videre licet quod ipsi sibi non constant, quodque ipsi secum pugnant qui volunt dimissa culpa simul dimitti poenam omnem etiam temporariam. Cum enim agunt de peccato originali quod aliena voluntate contraximus, sic nobis illud remitti per baptismum asseuerant, ut concupiscentia carnis, quæ poena ipsius est semper nihilominus in nobis maneat, neque vlla satisfactione etiam Christi possit impediri, quominus sit peccatum. Interea tamen, illi ipsi, ex his sceleribus & flagitijs quæ re ipsa voluntariè patrantur, nullum sequi reatum contendunt, qui non simul cum ipsis per satisfactionem Christi deleatur vno actu fidei peccatoribus applicatæ. Quid autem hoc est aliud quam peccatum originis grauius facere, quam actuale? & poenitentiam vel fidem magis efficax remedium ad abolenda peccata existimare quam baptismum

Li. 9. ca. 27.

Li. 22. ca. 67.

Sapientia. 10

1 Corin. II.

Li 8 de pœni.

De pœnitētiæ
medicina Ca.
2

De Lazaro.
Cōtione Ter
tia.

Sermone 55.
in Canticis.

Gnbreorū 10.

mum. Quæ quam sint absurda quis est qui non videat: Ita dicat hoc etiam ille Pauli locus: quod si nosmetipsos diiudicarem non utiq; iudicaremur, ita demum fore sicut etiam ab Ambrosio traditum est, ut nobis parcat Deus, si nobis ipsi non peperceremus. Hoc Tertulianus quoq; testatur dicens. In quantum non peperceris tibi, intantum tibi Deus (crede) parcat. Ac qui fuit eiusdem gentis Augustinus, In hac inquit pœnitentia, maiore in se seueritatē vnusquisq; debet exercere, ut à seipso iudicatus non iudicetur à Deo, sicut Apostolus ait, Si enim nos iudicarem, à domino non iudicaremur. Ioannes quoq; Chrysostomus eundē illum locum adferens si nos ipsos diiudicarem non utiq; iudicaremur. Vides inquit quomodo hic inflicta pœna, liberat à pœna quæ illic est. Et in ea Homilia quæ proximè sequitur, post adducta eadem illa verba, ut igitur inquit neq; puniamur, neq; pœnas demus, in suā quisq; conscientia ingrediatur, vitamq; explicet, cunctisq; commissis, diligenter excusis condemnet animum quæ hæc patrauit, puniatq; cogitationem, affligat, crucietq; suam ipsius mentem, suppliciumq; à seipso exigat pro peccatis, per condemnationem, per diligenter actam pœnitentiam, per lacrimas per confessionem, per ieiunium, per Eleemosinam, per continentiam & charitatem, ut possimus omnes omni modo hic depositis peccatis multa cum fiducia illuc proficisci. Bernardus quoq;. Vnum est inquit si nosmetipsos iudicauerimus non utiq; iudicabimur. Bonum iudiciū quod me illi districto diuinoq; iudicio subducit & abscondit, prorsus horreo incidere in manus Dei viuentis, volo vultui iræ, iudicatus

dicat us presentari non iudicandus, spiritualis homo omnia *1. Corinthi. 2.*
 diiudicat, & ipse à nemine iudicatur. Iudicabo proinde ma-
 la mea, iudicabo & bona, mala melioribus curabo corrige-
 re actibus, diluere lachrymis, punire ieiunijs, cæterisq; san-
 ctæ laboribus disciplinæ, in bonis de me humiliter sentiam,
 & iuxta præceptum domini seruum me inutilem reputabo *Luce. 17.*
 qui quod facere debui tantum feci. Dabo operam nec lo-
 lia pro granis, nec paleas cum granis offerre. Scrutabor e-
 go vias meas, & studia mea, quo is qui scrutaturus est Ieru-
 salem in lucernis, nihil inscrutatum in me siue indiscussum
Zophonia. 1.
Nahum. 1.
 inueniat, neq; enim iudicaturus est bis in idipsum. Ex his &
 alijs multis quorum verba longum foret recensere, collige-
 re licet remissa culpa superesse adhuc reatum ad pœnam
 temporariam. Quamobrem rectè sapiens admonuit. Fili *Eccle. 21.*
 peccasti, ne adijcias iterum, & ne hoc solo securum se quisq;
 esse putaret, & de pristinis inquit deprecare, vt tibi dimittā-
 tur, parum esse iudicans recedere à peccatis, si preterita cu-
 rare neglexerimus. Neq; verò pœna tantum remanet di-
 missa culpa, verum & ipsa culpa non ita per pœnitentiam
 aboletur, vt non illius aliquæ maneant reliquæ quibus pœ-
 na debetur. Hoc Dauid exemplo discimus, cui dixerat qui
 dam Nathan, Dominus transtulit peccatum tuum, sed q̃a
2. Regum. 12.
 remisso peccato reliquæ peccati remanserant, orat nihilo-
 minus Deum Dauid vt secundum multitudinem miserationum *psalmo. 50.*
 suarum deleat iniquitatem eius, atq; amplius lauet
 eum ab iniquitate & à peccato mundet. Non satis habet
 curatum esse vulnus (ait Chrysostomus) etiam cicatricem *Homilia 11.*
 sanari pristinum etiam decorem restitui petit. Quod fieri *in psal. quins.*

Qq

videmus quæge.

*In sermone
de cena do-
mini.*

*Ephes. 5.
Apocali. 21.*

Esaie. 35.

Esaie. 4.

Malachie. 3.

videmus in baptismo, vt remisso originalis peccati reatu, re-
liquia tamen eius maneat, fomes ille concupiscentia, quē
tota vita pñs exercitijs oportet mortificare. Hoc & in pœ-
nitentia sacramento euenit. Manent quasi fomes quidam
quædam reliquia peccati, quas purgare satisfactione salu-
bri necesse est. Cum presertim preteritū peccatum in consue-
tudinem abijt, quod quanto fixerat radices altius, tan-
to maiore & longiore purgatione opus habet. Nam lau-
ri quidem cito possumus dicit Bernardus, ad sanandum
verò opus est curatione multa. Neq; Verò tantum in viuē-
tibus, Verum etiam in vita functis manent & cicatrices quę
dam ac maculæ peccatorum per ignem purgandæ, & pœ-
næ per quas pro peccatis satisfit, venialibus tantum, pro
qbus debita pœnitentia in hoc sæculo peracta nō est. Quo-
rum vtrumq; necessario credi oportere grauissimis ratio-
nibus discimus. Primum enim illud constat, quod illa cum
Christo triumphantium ecclesia, sicut Apostolus testatur
fine macula est & ruga, de qua scriptum etiā legimus, qd
non intrabit in eam aliquid coinquinatum. Nam & illud
ad eam referri potest, quod via sancta vocabitur, nec trāsi-
bit per eam polutus. Quamobrem purgari necesse est cica-
trices & maculas peccatorum priusquam ad ecclesiam
illam quæ est sine macula & ruga peruenire liceat. Quod
ex illo Esaie liquet loco. Luet dominus sordes filia-
rum Syon, & sanguinem Hierusalem lauabit de me-
dio eius, in spiritu iudicij & spiritu ardoris. Et ex altero Ma-
lachia loco. Ecce venit dicit dominus omnipotens, & quis
sustinebit diem introitus eius: aut quis ferre poterit vt aspi-
ciat eū

ciat eum: ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fus-
 ionum, & sedebit quasi conflans, & emundans argentum,
 & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & quasi
 argentum, & erunt domino offerentes sacrificia in iusticia.
 Ex utroq; hoc loco rectè id colligit Augustinus. Qui simul
 ex illis verbis, vbi dicitur. Peccatū in spiritum sanctum non
 dimitti neq; in hoc seculo neq; in futuro, docet esse quādā
 peccata quæ si non in isto, tamen remittantur in futuro sæ-
 culo, quod non tam de pœna peccati, quam de ipso pecca-
 to rectè intelligi cum ipse Augustinus, tū sequuti illū Gre-
 gorius & Bernardus, atq; alij cōplures, authores sunt. De/
 indè verò ita misericors est Deus, vt sit iustus nihilominus,
 neq; boni quicquam est quod non remuneretur, neq; mali
 quod pœna aliqua non prosequatur. Remittit itaq; pœnā
 æternam pro sua misericordia sed exigit nihilominus tem-
 poralem pro sua iusticia, ne sit malum prorsus impunitū.
 Quamobrē certo persuasum esse debet pñs omnibus, re-
 stare post hanc vitam pœnas ignis purgatorij quibus expi-
 antur leuiora peccata, eorum qui dum viuerent ipsi pœnas
 de illis sumere conati non sunt. Hic est ille ignis de quo di-
 xisse apostolum, saluus erit tanquam per ignem vetustissi-
 mus Origenes, & eum sequuti Augustinus atq; Gregorius
 memoriæ prodiderunt. Hunc esse carcerem de quo Chri-
 stus loquitur, non exhibis indè donec reddas nouissimū qua-
 drantem intelligi vult Ambrosius. Iam illa Apostoli ver-
 ba, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, ter-
 restrium, & infernorum. Et illa rursus ex Apocalipsi, quod
 nemo inuentus est, nec in cœlo, nec in terra, nec subtus ter-

Li. 20. de ciuit

ta. ca. 25.

Matth. 12.

Li. 21. ca. 24.

de ciuita. Dei

Li. dialogorū

4. capite 39.

1. Corinth. 3.

Ho. 6. in Exo

dū & 8. in le

uiticum.

Li. 21. ca. 26.

de ciuit. Dei.

& in psal. 37

sermon. 38. et

41. de sanctis.

Li. dialo. 4.

capite 39.

In caput 12.

Lucæ. lib. 7.

Philip. 2.

Apoca. 5.

Qq ij ram

2. Machabe. 12

Gene. 4.

ram, qui dignus esset aperire librum, nunquid non aperte purgatorium indicant? cui enim dubium esse potest, qui sub-
tus terram in gehenna sunt eos in Iesu nomine genua non
flectere, quem iugiter potius blasphemant? sed nec aperi-
di libri vlla de eis est probabilitas, vt non de alijs intelli-
gi locus hic possit rectius, quam de ijs quorum in purgatorio
delicta expiantur. Sed & ex illo Machabeorum libri loco
sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à
peccatis soluantur, recte colligi potest, esse quædam abdi-
ta receptacula, in quibus eorum animæ detinentur, qui cū
signo fidei in confessione Christi nominis ex hac vita de-
cesserunt. Nam pro ijs qui sunt in cœlo nihil attinet Deum
precari, qui cum summa beatitudine perfruatur, gratiæ po-
tius agenda sunt Deo, qui tantæ beatitudinis eos partici-
pes facere dignatus est, quam vt orare pro illis necesse sit.
Iniuriā facit martiri dicit Augustinus qui pro illo orat. Qui
vero sunt ignis æterni supplicij destinati pro eis superua-
canea est omnis oratio. Nam in inferno nulla est redem-
ptio. Si itaq; salubris est cogitatio pro defunctis exorare,
neq; necesse est orare pro ijs qui sunt in cœlo, quo nulli pa-
tet aditus, nisi prius omni peccati reatu sit solutus, superua-
caneum autem sit pro ijs orare qui sunt in gehenna, quid
restat aliud nisi tertium esse locum aliquem, in quo pœna
quadam temporaria purgetur i, qui nō satis purgati ex hac
vita migrauerunt. Legimus in Genesi flammeum gladium
atq; versatilem ante paradysum esse collocatum. Quid au-
tem sibi vult flammeus iste gladius? nisi quod, quicūq; de-
inceps admittendi sunt illos transire per examinatorium
ignem

ignem oporteat. Quod si scripturis etiam probari purgatorium non posset, cum tamen vnanimes vno ore sancti doctores omnes à Christo nato ad hæc vsq; nostra tempora vel pœnarũ ignis purgatoriũ, vel orationum, & sacrificiorũ pro defunctis meminerint, cũ pleriq; eorũ, nominatim vero Augustinus & Ioannes Damascenus etiam libros de cura pro mortuis gerenda conscripserint, quis est qui dubitare queat Apostolicam hanc esse traditionem, quæ tãto omnium consensu tot sæculis in ecclesia semper fuit obseruata? Cui qui contradixit Acrius ante mille ducentos annos pro hæretico habitus est, quod superuacaneas esse diceret orationes & oblationes pro defunctis, sicut apud Philastũ, Epiphaniũ, Augustinum legimus. Ante quadringentos etiam annos fuerunt Henriciani quidam & Petrobrussiani, qui cum ad eundem lapidem offendissent per Petrum Cluniacensem, & Bernardum Abbatem Clareualensem confutati sunt. Verum nobis hoc loco propositum non est hoc argumenti genus tractare, obiter tantum illud significandum esse duximus, si volumus pœnas effugere temporarias, vel in hoc vel in futuro sæculo pro peccatis nostris nobis infligendas opus esse vt ipsi nos iudicemus, vt ipsi supplicium de nobis sumamus, vt per ieiunium, orationem & eleemosinam peccata nostra expiantes, Deum nobis placatum reddamus, vt cum ipsi nobis nõ pepercerimus, parcat ille nobis, atq; à pœnis quas lōge grauiores eramus cōmeriti nos liberet. Atq; hæc est satisfactionis ratio quæ inter partes siue actus pœnitentiæ tercio loco numeratur, quæ tollitur tamē nonnunq̃ per indulgentias, quæ & ipsæ valēt

Qq in

ad pecca-

In psal. 61. 86.

Colo. 1.

Io. 19.

I. Corint. 12.

Actu. 9.

ad peccatorum remissionem. Quo magis autem intelligi
possit quæ sit indulgentiarum vis, sic accipi rem oportet,
Dominus noster Iesus Christus sicut ab Augustino tradi-
tum legimus, vnus est homo cum capite & corpore suo, sal-
uator corporis & membrorum corporis, duo in carne vna,
& in voce vna, & in passione vna, & cum transferit iniqui-
tas in requie vna, passiones itaq; Christi non in solo Chris-
to, immo passiones Christi nõ nisi in Christo. Si em̃ Chris-
tum intelligas caput & corpus passiones Christi non nisi
in Christo. Si autem Christum intelligas caput tantũ, pas-
siones Christi non in solo Christo. Si enim passiones Chri-
sti in solo Christo, siue in solo capite, vnde dicit quoddam
membrum eius Paulus Apostolus, vt suppleam quæ desunt
passionum Christi in carne mea? Nunquid aliquid passio-
num deerat in Christo capite? An non passus est quicquid
pati debuit? nonne ipse dixit, Cõsumatum est? Quibus ver-
bis significauit iam de mensura passionum suarum nihil
deesse, quia omnia quæ dicta de se fuerat, completa essent.
Nihil ergo deerat passionibus Christi quatenus caput est,
sed restabant adhuc & restant Christi passiones in corpo-
re, in eo corpore de quo dixit alibi Paulus. Vos estis corpus
Christi, & membra de membro. In huius ergo corporis me-
bris, hoc est, in p̃ijs hominibus qui tanquam caput semel
passus est, passus est sæpe, & patitur Christus. Nam vnus-
quisq; piorum pro modulo suo exoluit quod debet, & pro-
posse virium suarũ, quasi canonem passionum infert, quar-
um non erit finis, nisi cum seculum finitum fuerit. Sic pa-
ciebatur Christus à Saulo quando dixit illi; Saule, Saule
quid

quid me persequeris: Membra persequeretur, & tamen se
in membris suis pati Christus interpretabatur. Quomodo
solet lingua dicere calcato pede, calcas me, linguā nullus
tetigit, compassione clamat, non attritione. Ita Christus, si
quis membro suo faciat iniuriam, si quis illd' persequatur, si
bi fieri qcqd illi sit iputat. Hāc q' capitis cū corpore coniū-
ctionē intelligit, facile pspicere pōt quā sint Christi capitis,
quā sint corporis, & membrorū eius merita. Nā sicut vivit
Christus in membris suis, ita patit' in mēbris suis, ita mere-
tur in membris suis, ita satisfacit in membris suis. Hoc est
quod dicit Paulus, Adimplere se quā defunt Christi passi-
onum in carne sua. Non quod cōgeries Christi passionum
quas tanquam caput pertulit non fuerit sufficiens ad exo-
lutionem pēnarum, quā totius Ecclesiā peccatis debebā-
tur, sed quod multa pars passionum eius adhuc corpori e-
ius quā est Ecclesia deest, priusquam persequutionū Chri-
sti sit finis, quia vsq; in finem seculi patitur Christus in suis
membris. Hinc colligere licet, quod meritum passionis &
mortis Christi, ac sanctorum eius in quibus & patit' & pa-
tiētur Christus vsq; ad consumationem seculi, multo fue-
rit & sit abundantius, quam fuerint & sint & esse possint
omnia totius orbis flagitia, ad illā abluēda pro quibus vel
vna guta sanguinis sui satisfacere poterat. Nam si potuit
dicere beatus Iob. Vtinam appenderentur peccata mea Iob. 6.
quibus iram merui, & calamitas quā patior in statera, qua-
si arena maris grauior hāc appareret. Certē multo rectius
de Christo dici potest, quod calamitas quam pertulit ius-
tus pro iniustis, multo grauior est si in statera appendatur
quam

Matth. 16.

1. Corin. 4.

1. Corin. 9.

2. Corin. 2.

quam sint omnia peccata in Vnum collecta, non Vnius Verum etiam si dici possit multorum mundorum pro quibus eam sustinere dignatus est, meritum ut illius infinitis partibus omnes iniquitates & scelera totius orbis superare videatur. Ex hac itaque superabundantia meritorum & satisfactionum Christi & sanctorum eius hoc est capitis & corporis, pendet & constat indulgentiarum thesaurus, cuius dispensatio, cum ad alios Episcopos, tum ad summum pontificem precipue pertinet, qui totius Ecclesie sub Christo capite caput est. Cui Christus ipse peculiariter claves regni coelorum commisit. Hoc est quod dicit Apostolus. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et iterum dispensatio mihi credita est. Et rursus alio loco, Cui donastis aliquid & ego. Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi. Effectus ergo siue fructus indulgentiarum hic est quod per eas illius quae fit per opera poenitentiae, & per sacerdotem alicui in sacramento poenitentiae iniungitur & precipitur satisfactoris fit remissio, siue condonatio. Quoniam vero per iniunctam satisfactionem quam verè poenitens exequitur soluitur & aufertur poena temporalis quae peccato quod patratum est ex iusticia diuina debetur, consequens est per indulgentias veluti satisfactorias poenas (tantum enim valent, modo dignè ac rectè administrentur ac acquirantur) tantundem remitti poenae temporalis apud iusticiam diuinam quantum apud eam ipsae quas aliquis accipit valent indulgentiae. Ac ne cui nouum videatur quod etiam sanctorum passionibus & meritis valere dicimus ad remissionem peccata

peccatorū, libet hic adscribere quid ea de re vetustissimus
& idem doctissimus vir senserit Origenes. Vide inquit ne
forte sicut dominus & saluator noster quasi agnus ad octi-
fionem ductus, & in sacrificium altaris oblatus peccatorū
remissionem vniuerso prestatit mundo, ita fortassis cetero-
rum sanctorum ac iustorum sanguis fusus est ad expiandū
pro parte aliqua populum, ac interiectis nōnullis, postea-
q̄ docuit, quod etiam Paulus hostiam se obtulerit iuz-
gulandam, similiter & alij sancti, sed in his omnibus inqt
vnus est agnus qui totius mundi potuit auferre peccatum
& ideo cessauerunt ceteræ hostiæ, quia talis hæc fuit ho-
stia, vt vna sola sufficeret pro totius mundi salute. Ceteri
enim precibus peccata, hic solus potestate dimisit. Dicebat
em̄. Fili remissa sunt tibi peccata tua. Detrahete itaq̄ meri-
tis sanctorum nihil est aliud quam detrahete meritis Chri-
sti. Christus est enim qui viuit in illis, Christus est qui patia-
tur in illis. Christus est qui meretur in illis, cuius fuso preci-
oso sanguine, fit vt illorū quoq̄ fusus pro Christo sanguis,
valeat nobis ad remissionem peccatorum, quamuis hæc
remissio non per alium detur, quā per Christum. Sed hæc
obiter de sanctorum meritis, quæ miro quodam consensu
semper fuerūt ab omnibus & doctrina & pietate viris præ-
stantibus omnibus seculis in Ecclesia celebrata, deq̄ pœ-
nitentia & eius partibus dicta sufficiant. Nunc de sacramē-
to extremæ vnctionis dicendum nobis restat.

DE SACRAMENTO EXTREMAE

vnctionis.

Rr

Caput